



Praxis Avrea Qvotidianarvm Rervm Ecclesiastici Fori

In qua Variæ Iuridicæ Resolutiones ex approbatis traditionibus Doctorum,
atque diuersorum Tribunalium, præsertim Rotæ Romanæ, Decisionibus,
excerptæ, continentur; Opvs Qvatvor Partibvs Distinctvm

Continens Tertiam, & Quartam Partem: Quibus, hac nostra editione ab
innumeris mendis repurgata ...

Riccio, Giovanni Luigi

Venetiis, M.DC.LXXIV.

Praxis Rervm Ad Sacrificiwm Missæ pertinentium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98599](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98599)

Hinc enim videmus, quod prædicti equites quicquid acquirunt Religioni acquirunt, quoad proprietates, sibi verò quoad usum fructum vita durante, vt habetur in Constit. dictæ Religionis tit. 16. in rubr. de contract. & alienat. cap. 10. cum duobus sequentibus, ibi, ideo sancitum est, quod fratres ordinis nostri, qui per emptionem, donationem, aut alia quacumque ratione bona prædia census, seu annuos redditus, vel iurisdictionem acquisierunt, & vbi vendiderunt vilo pacto absque magistri, vel capituli generalis consensu vendere, alienare, & cetera. vbi disponitur, quod licentia debeat obtineri in scriptis à Magistro, vel capitulo generali, & debet esse in specie, & in vita, & in morte, vt habetur per Molfes. in consil. 24. num. 4. & 5. vbi num. 8. dicit Milites Hierosolymitanos non posse in vltima voluntate disponere de bonis immobilibus, nec etiam mobilibus etiam per ipsos acquisitis, vt ibi per eum.

Hinc inferitur, quod statutum loquens de professis, & Religiosis in stricta significatione extenditur ad huiusmodi milites Polid. Ripa obseru. 185. Faber in decis. 27. C. de Episcop. & cler. & ideo Nauar. consil. 2. per totum, de conuers. coniug. dicit quod per ingressum talis religionis dissoluitur matrimonium non consummatum.

Hinc enim sicuti clerici non tenentur soluere collectas cap. quamquam, de censibus cap. clericis, de immunit. eccles. in 6. cap. generaliter §. nouarum, & §. placet 16. quæst. 1. clem. 1. de immunit. eccles. Sac. Concil. Trident. in sess. 25. de reformat. cap. 20. vbi confirmantur omnes Constitutiones hactenus à summis Pontificibus emanatæ in fauorem immunitatum, & in privilegium clericorum, & ecclesiasticarum personarum, placet auth. omnis, & auth. item nulla, communis C. de sacrosan. eccles. ita pariter isti equites non tenentur soluere collectas Remig. de Gap. in tractatu de charitate subdist. quæst. 62. numer. 35. latè Grafs. de effect. cler. eff. 3. num. 132. vbi refert in Regno Sicilia istos milites consequi multas immunitates, quas non consequuntur exteri clerici, & Sacerdotes.

Et huc spectat, quod inferentes manus in istos milites, vt sunt sancti Iacobi, S. Ioannis, & aliorum, incidant in excommunicationem, ac si in Religiosos manus iniessent gloss. in cap. quisquis §. sacrilegium in verb. ecclesiast. 17. quæst. 4. Nauar. consil. 11. per totum, de regular. Macerat. in lib. variarum resolut. casu 112.

Hinc isti milites non possunt succedere in feudo requirente seruitium personæ, quia ipsi clerici Regulares dicuntur, vt in specie scribunt Bal. Barbat. Brun. Cassan. Alciat. Cott. Crauet. Roland. & Freccia, quos retulit, & approbat. Menoch. consil. 54. num. 24. lib. 1. & de arbit. iud. cas. 230. lib. 2. num. 29. in addit. vbi alios pro hac opinione allegant. & num. 31. idem dicit de militibus S. Iacobi Calatrana, & Alcantara, apud Hispanos Religiosos sua vota solemniter emittentes, vt habetur post alios per Molin. de Hisp. primog. lib. 1. cap. 13. num. 98. & sic declarasse breui Apostolico Paulum Papa III. in anno 1440. scripsit idem Menoch. consil. 950. dub. 7. lib. 10. Et hæc omnia per D. Nouarium, vbi sup.

RESOLVT. CCCLXV.

- 1 Refertur casus questionis.
- 2 Renunciatio beneficii contra dispositionem Concil. Trid. debet de iure annullari.
- 3 Beneficium non potest renunciari ante professionem.
- 4 Professio clericorum etiam inconsulto superiore inducit tacitam renunciationem.

Dispositio Concilij an locum habeat in renunciatione beneficii.

Casus mihi propositus talis est. Quidam clericus cupiens religionem Camaldulensem ingredi, renunciauit beneficium cuidam non tamen seruata forma Concilij Trident. quæ est in cap. nulla quoque renunciatio, quare fuit dubitatum an hæc renunciatio veniret de iure annullanda, & breuiter censui affirmatiue respondendum, tum primo, quia clericus habens beneficium, siue simplex, siue curatum ingrediens religionem illud retinet, sicut antea, & fructus percipit Paris. de resignat. l. benef. lib. 1. quæst. 13. num. 3. & prius dixit Gemin. in cap. beneficium, num. 1. de regul. in 6. & Paulus de Castro in consil. 432. cum statuto, num. 4. in versic. nam beneficium, vol. 1. & in eo per alium inferuire debet, donec professionem emisit Paris. d. loc. num. 8. tum secundo propter dictionem illam vniuersalem (nullam) quæ omnem speciem renunciationis includit arg. tex. in cap. omnes, de maiorit. & obed. & I. Iulianus, ff. de leg. 3. Tum denique, quia secundum Monald. in consil. 143. col. 2. non potest renunciari beneficium intra annum probationis, nisi ante duos menses professionis, & de consensu Superiorum, nec potest Episcopus illud alteri conferre, nisi postquam professionem emisit, ne contingat postea si professionem emittere nollit, vel non posset carere, & monachatu, & beneficio, ita firmat idem Paris. d. q. 13. numero 4. 5. & 7. ex dispositione sacri Concilij Trident. sess. 25. de regular. cap. 16. vbi dicit sæpius sacram Congregationem præfatum c. Sac. Concilij censuisse habere locum etiam in renunciatione beneficii, & Episcopum illud non posse conferre, nisi post factam professionem, & Maiol. de irregular. lib. 3. cap. 6. col. 2. & præsertim prædicta procedunt, cum clericus fuerit ordinatus ad titulum eiusdem beneficii, cum propterea illud resignare non possit, nisi facta mentione, quod ad illius beneficii titulum sit promotus, & tunc resignatio tantum admittitur, quatenus habeat aliunde, vnde commodè viuere possit, prout quotidie seruatur ex dispositione eiusdem Concilij cap. 2. sess. 21. de reformat. vnde ne clericus beneficium ante emissam professionem dimittat renunciatio facta non tenet, vt si contingat non profiteri, vel quia nolit vel non possit, beneficio non priuetur, vnde viuere possit in sæculo, vt dictum est, & hinc dixit idem Paris. d. tract. lib. 7. q. 14. num. 28. quod professio clericorum etiam inconsulto superiore inducit tacitam renunciationem, & vacationem beneficii, cum per eum citatis, & hanc dicit esse communem opinionem, & sic per ingressum religionis ante professionem illud retinet, & ad illud non profitendo redire potest, vt patet ex supradictis.

PRAXIS RERVM AD SACRIFICIVM Missæ pertinentium.

RESOLVT. CCCLXVI.

- 1 Quando testator non designauit locum vbi missæ debeant celebrari, celebranda sunt in loco vbi iussit se sepeliri.
- 2 Conueniens est, vt vbi est onus, ibi sit & lucrum.
- 3 Legata relinquuntur propter merita.
- 4 Quid de iure Archiepiscopali Neapolitano statutum sit circa hoc.
- 5 Relictum factum Ecclesiæ non specificato, nec declarato intelligitur factum Ecclesiæ, cuius parochianus est ipse testator.

Vbi

Vbi missa celebrari debet quando testator non designauit locum certum.

Q Vando testatur non designauit locum certum, vbi missarum suffragia celebrantur celebranda sunt in loco vbi iussit se sepeliri, vt optimè consuluit Abb. videndus cons. 99. numero 4. libro 2. versicul. circa secundum dubium, est enim maximè conueniens, quod vbi sit onus, ibi etiam lucrum collocetur, nam absurdum videtur alium habere commodum, & alium onus sustinere l. is, qui in potestate §. ult. ff. legat. præstand. l. 1. §. pro secundo C. de caducis tollendis, & laboribus indultia, & diligentia frustrari maximum absurdum est inquit Decianus responso 36. num. 46. lib. 1.

Et faciunt etiam probabiles, & vrgentes coniecturæ, quia equitas suggerit, vt illi Ecclesiæ, quæ sustinet onus sepultura testator legare voluerit gratia remunerationis, quia, & legata propter merita relinquuntur l. nec adiecit ff. pro socio & semper in dubio debemus inspicere, quod verisimilius est, vt in regula in obsecris de regul. iur. in 6. Menoch. consil. 230. num. 89. & cons. 260. num. 34. & verisimile est imo credibile, quod testator senserit, vt missarum suffragia pro eius anima celebrètur vbi est eius cadaver, & quia etiam honestius est, quod ibi preces fundantur vbi est sepultura ex glossa notabili in cap. graui 15. quæst. 2. & facit illud Psalmistæ, & sepulchra eorum domus illorum in æternum.

In constitutione autem huius Archiepiscopatus aliud hoc casu stabilium est, vt scilicet quando testator extra suam parochiam sepultus est, dimidia pars missarum dicatur in Ecclesia, aut monasterio, vbi est sepultura, alia verò dimidia dicatur in eius parochia, quod factum est magno cum iudicio, & ad sedandas discordias, quæ quotidie oriebantur, in quo conducunt, quæ deducit Mantica de coniectur. vltim. volunt. lib. 8. tit. 6. a num. 1. & præsertim num. 6. & est textus celebris in auth. de Ecclesiasticis titulis §. si quis autem in nomine Domini collat. 9. & adde aliam legem singularem in l. quæ conditio §. cum in testamento ff. de condit. & demonstrat. vbi firmat Bart. quod relictum factum Ecclesiæ aliter non specificatæ, nec declaratæ intelligitur factum Ecclesiæ cuius parochianus est ipse testator, & quæ eleganter Ias. in §. ex maleficijs num. 46. instituit. de actionibus.

RESOLVT. CCCLXVII.

- 1 Refertur casus decisionis.
- 2 Per numerationem specierum non derogatur legato generis, & quomodo lex intelligatur.
- 3 Expenditur singularis doctrina Bart. in l. si consul. ff. de adoptionibus.
- 4 Si clausula generalis præcedit, & subsequatur specialis, tunc illa clausula refertur ad omnia specificata, etiam in quibus fuit specialiter prouisum.
- 5 Declaratur doctrina Iason. in l. doli clausula num. 3. ff. de verborum obligationibus.

An si testator in institutione Capellæ dicat, quod in omnibus diebus dicatur vna missa sine cantu, & in die Sabbati sic cum cantu an ambæ missæ dicendæ sint in eodem die.

C Vm casus in facto euenisset, & effem consultus, dixi ambas missas esse dicendas in die Sabbati, motus ex text. in l. quæsitum §. vltim. ff. de fundo instruct. vbi habetur, quod si testator legat vni genus, & eidem speciem, quod per numerationem specierum non derogat legato generis ad idem text. in leg. si mancipia in princip. ff. eodem tit. in quo puncto

tradit Dynus in regul. genere de regul. iur. in 6. Bart. in d. l. quæsitum in §. fin. tradunt Canonistæ in c. sedes de rescriptis, vbi latissime Panor. Felyn. & Decius.

Et magis ad propositum facit illa determinatio solemnis Bart. in l. si consul. num. 2. de adoptionibus, & in l. 2. ff. stipulat. seruorum, vbi eleganter determinat, quod si testator reliquit prioribus omnibus istius ciuitatis centum distribuenda inter eos, item relinquat quinquaginta Titio, qui etiam erat de prioribus, quod ille Titius poterit petere illa quinquaginta, & admitti etiam ad partem illorum centum, allegat etiam text. in l. Titia §. qui Marco. ff. de annuis legatis, dicit etiam pro hoc esse textum in d. l. si consul. supra allegata, ergo idem videtur dicendum in terminis huius decisionis, quia illa generalitas, de qua in testam. videlicet vt in omnibus diebus celebretur vna missa sine cantu non derogetur in illo die Sabbati per illam cum cantu, quam iussit dicere testator, & si hæc adiectio videatur esse quædam species, & etiam si videatur testator recedere ab illa generalitate.

Item conducit maximè, quia quando clausula generalis præcedit, & subsequitur specialis, sicut contingit in hoc casu, tunc illa clausula refertur ad omnia specificata, etiam in quibus fuit specialiter prouisum, & est text. in l. 4. ff. de stipulat. seruorum, & in dicta l. Titia §. qui Marco. notat Ias. in l. doli clausula num. 3. ff. verborum obligat. post alios Tyberius Decianus consil. 100. lib. 2. a num. 1. per quæ iura deciditur quæstio notabilis, quæ multum coadiuuat hanc sententiam Senatus supremi, quod si testator reliquit cuilibet fratrum prædicatorum Cappam, & priori Bibliam, quod eo casu prior debet habere vtrumque, & Cappam, & Bibliam, ex quo præcessit genus, quia primo in genere relinquat omnibus fratribus prædicatoribus Cappam, deinde in specie relinquat priori Bibliam per dicta iura, qui sunt optimi textus de hoc secundum Ias. vbi supra num. 4.

Secus erit cõtra si primo reliquisset priori fratrum prædicatorum Bibliam, & postea cuilibet ex fratribus reliquisset Cappam, eo quia tunc Prior non debet habere Cappam, eo quia generale relictum sequens non includit priorem, cui prius fuerat specialiter legatum argumento textus in l. doli clausula cum ibi traditis per glossam ff. de verborum obligat. & hanc quæstionem determinat Cynus, quam doctores communiter sequuntur in l. cum quæst. in fin. C. de legatis sequitur etiam Bart. Angel. Imol. & Paul. in dict. l. doli clausula, idem Bart. & Imol. in dicta l. 4. ff. de stipulat. seruorum, & in l. quæsitum, & aliquos refert Ias. in loco supra citato, vbi testatur istam esse magis communem opinionem nu. 3. quem omnino videas, idem ergo dicendum est in proposito cum non inueniatur diuersitatis ratio.

RESOLVT. CCCLXVIII.

- 1 An liceat Sacerdotem dicere missas anticipatè.
- 2 Duo alij casus a doctores relati.
- 3 Decisio Cardinalium Concil. Trident. ex mandato Sanctissimi Clementis VIII. super hac celebratione.
- 4 Vt in Hispania, quod presbyteri missas dicebant pro intentione illorum, qui venturi erant ad missas postulandas.
- 5 Reprobatur hic vsus.
- 6 Prohibetur hic vsus sub pœna excommunicationis.

An liceat Sacerdotis missas celebrare anticipatè.

R Espondeo quod doctores statim citandi ponunt sequentes casus.

- 1 Primus igitur casus, tenent licitum esse Sacerdotem missam dicere anticipatam, ex his quas in posterum

sterum tenetur dicere pro certa intentione eius, qui
 2 habet mandare missas etiam si ille nesciat, poterit
 pro missa taliter dicenda anticipare stipendium acci-
 pere resoluunt Arag. art. 3. pag. 692. Ledesma. cap. 18.
 cōclus. 17. ver. la duda es de vn Sacerdote fr. Emman.
 c. 252. n. 8. & præter hos casus promulgata fuit decisio
 3 Cardinalium Concilij Trident. ex mandato Sum. Pōt.
 bonæ memoriæ Clem. VIII. edita, cuius tenor talis est.
 Superiorib. dieb. significatum fuit S. D. N. paucis
 ab hinc annis in Hispania nouam consuetudinem re-
 centiorum aliquot Theologorum opinione nixam
 sensim receptam, in dies magis inualuisse, vt sacer-
 dotes missam celebrantes eius valorem generalem,
 applicarent his, qui postea missæ celebrationem po-
 stulaturi, ac pro eo elemosinam præstaturi sunt, ta-
 4 met si antequam missæ sacrificium perageretur, neque
 a sacerdote illud rogassent, neq; ei hac de causa ele-
 mosinam præstissent, quam rem cum sanctitas sua
 ad sacram congregationem Cardinalium Concilij
 Trident. interpretum pro materia gravitate exami-
 nandam reieccisset, in ipsa congregatione, primum de
 ea actum fuit diligentissimè, ac deinde relatum ad san-
 ctitatem suam, quæ, ex eiusdem congregationis sen-
 tentia, huiusmodi consuetudinem tanquam plurib.
 5 nominib. periculofam, fidelium scandalis, & offensio-
 nib. obnoxiam, atque vetusto Ecclesiæ more, nimium
 abhorrentem expolit, ac improbauit, atque amplitu-
 dini tue literas dari, quod facimus, mādauit, vt omnib.
 istius Regni Archiepiscopis, atque Episcopis in quo-
 rum diocesibus huiusmodi applicatio, in vsum indu-
 cta fuerit per literas, aut alias, scripto in iugat, vt ta-
 lem vsum aboleant, ac prohibeant excommunicatio-
 6 nis, atque alijs quas opportunas, & necessarias existi-
 mauerint, poenis. Idemque præcipiant Generalib. &
 Capitibus ordinum, quos in istis regnis nunc nouerit
 conuocari, vt scilicet, & ipsi, regularib. sibi subditis
 talib. applicationib. eisdem poenis propositis inter-
 dicant, quæ omnia pro sua pietate, & sanctissimi Do-
 mini nostri iussu obsequendi studio amplitudinem
 tuam sedulo effecturam sperantes, omnipotentem
 Deum rogamus, vt eam quotidie celestis suæ gratiæ
 donis velit auctiorem reddere. Romæ die decimo
 quinto Nouembris 1605.

RESOLVT. CCCLXIX.

- 1 Non est peccatum celebrare ante præces nocturnas.
- 2 Qui teneant, quod sit peccatum facere sacrum ante matu-
tinum.

Missam celebrare ante matutinum an sit mortale.

1 R Espondeo non esse peccatum mortiferum facere
 sacrum, ante præces nocturnas, seu matuti-
 num expresse affirmant Sot. lib. 10. de Iust. quæst.
 5. art. 4. conclus. 2. & in 4. distint. 13. quæst. 2. in fin.
 Haul. in part. 3. methodi cap. 5. §. 15. cl. 1. pag. 501.
 Medin. part. 1. instit. confes. capit. 16. §. 2. in fine.
 Emman. Sa in Aphorismis tit. de missa num. 22. Cor-
 rad. in respon. casuum conscient. casu 242. Cuch.
 lib. 5. tit. 6. num. 36. Arag. 2. 2. q. 63. art. 12. verfic. de
 ordine, pag. 832. Lop. in instruct. conscient. p. 2. c. 79.
 de Eucharist. verficul. denique, neque hic, pag. 297.
 cap. 105. de Horis canon. verfic. nunc tamen Veg. in
 specul. curat. cap. 10. §. 28. num. 254. verfic. Tambien.
 Alfons. Veg. in sum. p. 2. c. 41. quod verò peccatum
 sit mortale ante matutinarum recitationem sacrum
 2 facere tenent Antonin. p. 3. tit. 13. cap. 6. §. 4. in fin.
 Armil. in sum. verb. missa, num. 3. Tabien. h. 5. Angel.
 n. 42. Nan. in Man. c. 21. n. 13. verfic. 18. & de Horis
 canon. cap. 3. §. 6. pag. 82. verfic. primum est. Melchior
 de Haulam in epitome cærem, & mysteriorum missæ

§. 2. verfic. quales Maijtiens, pag. 355. Beia respon.
 casuum conscient. par. 1. casu 54. verfic. quia celebrare
 ante matutinos.

RESOLVT. CCCLXX.

- 1 Sacerdos, qui aliquam pecunie quantitatem accepit pro
celebrandis missis potest, si per alios faciat illas cele-
brare pro minori pitantia, reliquum iuste retinere.
- 2 Et quomodo procedat.
- 3 Qui teneant contrariam opinionem.
- 4 Nota duplicem distinctionem traditam per DD. circa
hunc casum.

An Sacerdos, cui data est elemosyna pro missa cele-
branda possit per alium celebrari facere dan-
do ei minorem elemosynam accepta.

1 R Espondeo, quod Sacerdos, qui aliquam pecunie
 quantitatem accipit per se, vel per alium pro di-
 cendis missis, vel vt eas faciat celebrare per alios Sa-
 cerdotes, si eas celebrari faciat per alios minori pi-
 tantia, possit iuste sibi retinere residuum eius, quod
 sibi datum fuit sine peccato, & restitutione, quod pos-
 sit retinere si Sacerdos, qui dat illas missas sit paro-
 2 chus, aut eius populi curam gerat, resoluunt Sot. de
 Iust. lib. 9. q. 3. art. 1. verfic. sed hoc propterea Emman.
 in sum. 10. 1. c. 242. de miss. n. 12. Suar. in 3. p. q. 83. art.
 6. disp. 86. lect. 3. verfic. hac verò occasione.

3 Contrariam verò opinionem sequuntur Maior. in
 4. dist. 45. quæst. 3. dub. 2. & Ledesma. d. cap. 18. verfic.
 Esta duda se responde, alij distinguunt in hunc mo-
 dum, quando Parocho, vel sacrista, qui pecuniam il-
 lam accipit a leges vel consuetudine est assignata cer-
 ta quantitas ex quaque missæ pitantia ob stipendium,
 seu pro huiusmodi cura, & officio sibi iniuncto mis-
 sas commendandi, tunc non peccat, nec tenetur ad
 restitutionem, si aliquam partem retinet sibi, & alte-
 ram dat presbytero pro missis, quando verò Paro-
 chus, seu sacrista non habet vllum officium, quod
 lege, vel consuetudine compertum sit commendari
 missas dicendas, tunc non potest sibi aliquid retinere,
 quam distinctionem tradunt Nauarrus in Man. c. 25.
 numer. 91. Lop. in instruct. conscient. par. 2. tit. de
 Eucharist. c. 78. verfic. insuper Beia casuum conscient.
 par. 1. casu 12. in fine Arag. 2. 2. quæst. 85. de sacri-
 fic. art. 3. p. 683. in princip. Gutier. canonic. lib. 1.
 cap. 29. num. 32. Veg. tom. 2. cap. 41. casu 3. Henric.
 lib. 9. cap. 22. in fine.

RESOLVT. CCCLXXI.

- 1 Pecunia legata pro tot missis celebrandis, si augetur mer-
ces numerus missarum diminui debet.
- 2 Terminus si est taxatus non fit extensio in præiudicium
debitoris.
- 3 Verisimilis responsio testatoris, si fuisset interrogatus
multum valet in testamentis.
- 4 Promittens reficere pontem an teneatur si flumen creuerit.

Pecunia legata pro tot missis celebrandis, an si augetur
merces debeat minui numerus missarum.

1 Q Uod refrenandus sit missarum numerus facit,
 2 quod reperitur taxata pecunia, & quando ter-
 minus est taxatus non fit extensio in præiudicium
 debitoris text. est notab. in l. non modus, C. de
 seruitut. vbi si concessisti mihi seruitutem aquæ du-
 cendæ ad prædium meum, non extenditur ad alia
 prædia a me acquisita. Secundo facit text. not. in
 cap. quanto de censibus vbi, qui tenetur facere pran-
 dium religiosi, si ipsi creuerint non tenetur ultra sol-
 tum

tum numerum religiosis præstare prandium, nisi facultates multum creuerint. Tercio facit, quod si testator mandauit expendi mille pro monasterio construendo, quæ non sufficiant, debet fieri conuersio piæ dispositionis in alium pium vsum, vt singulariter tradit Abb. in cap. nos quidem de testament. & hæc opinio in specie tenet Io. Petr. Rimin. conf. 36. vol. 1. vbi refert, ita fuisse decifum in Archiepiscopatu Mediolani, adducit etiam, quod non licet petere incrementum, vbi diminutionis damnum non esset refarciendū arg. l. pen. C. de solut. Brun. de augumēto, q. 23. sed si merces Sacerdotū fuisset diminuta non diminueretur legatū, secus dicit, quādo pecunia non esset taxata, sed testator mandasset celebrari tot missas.

Pro contraria opinione facit illa regula, quæ multum valet maxime in dispositionibus ad pias causas per vniuersalia, quod si testator cogitasset, & fuisset interrogatus, ita verifimiliter disposuisset, tunc a lege fit interpretatio, quod subintelligatur. Soc. in l. 2. n. 17. ff. de vulg. & pupill. Mant. post alios, quos allegat de coniect. ult. volunt. lib. 3. tit. 1. n. 22. idem ex verifimili voluntate tradit Paul. de Cast. conf. 132. vol. 1. vt latius per Mantic. loco cit. vbi illam conclusionem, quod tempus testamenti in legatis debeat inspicere iuxta l. si ita. ff. de aur. & arg. legato eleganter declarat, quando verifimilis mens testatoris colligi in contrarium posset, & cum testator in casu nostro non reliquerit pecuniam simpliciter pro elemosyna soluenda sine onere missarum, sed pro missis celebrandis pro anima sua eo tempore, quo præstatur minor merces verifimiliter prouideret augmentum nō diminuisset numerum missarum data capacitate hereditatis; ergo ita iudicandum est cum finis principalis fuerit refrigerium animæ, nō elemosyna præstanda sine onere, & anima cunctis bonis præferatur leg. sancimus. C. de Sacros. Eccles. secundo facit, quod si fit relictum legatum simpliciter Eccles. nempe fundus, vel domus, continentur etiam si post factum testamentum accesserit contra regulam dict. l. si ita, ff. de auro, & argento legato. Bar. in leg. placet. ff. de liberis, & posthum. Socin. in leg. 1. ff. de reb. dub. Tercio facit text. in l. si seruit. de seru. vrb. præd. vbi augmentato prædio dominante, & ipsa seruitus augetur, nam si commisit seruitutem luminum, ne officeretur luminibus domus meæ tempore, quo non erat ibi nisi vna fenestra, per quam respiciebam lumen, & postea amplio domum, & facio multas fenestras, tu non potes offidere luminibus nouis, sicut nec veteribus. Tercio hanc opinionem veriolem esse censet ex doctrina Bald. in quæstione, cum distinctione tamen, quam ipse facit in dict. leg. non modus, vbi ponit quæstionem; quidam nobilis promisit communitati reficere pontem, qui pons erat parvus, postea creuit aqua, ita quod oportet, quod pons sit maior solito, & oportet crescere pontem, quæritur qualiter iste nobilis teneatur, respons. Bald. quod aut augmentatio est intrinseca, & tenetur nobilis, aut extrinseca, & non tenetur. Dicitur autem intrinseca, quando onus refectionis est actum circa eandem latitudinem pontis, & quia aqua perfodiens hoc facit, & est necessario maior impenfa solito, tunc pertinet ad nobilem, si verò augmentatio est intensiua in maiore pontis latitudine, tunc non pertinet ad nobilem, quia tempus contractus inspicitur l. hoc iure, §. si aqua, ff. de aqua quotidiana, l. quidquid attringenda in sui ratione, ff. de verborum, obligat. & ideo dicit Bal. quod in d. l. si seruitus erat ampliatio circa eandem rē, cui debebatur seruitus, & ideo non referebat, an esset vna, vel plures fenestræ, & in d. l. non modus ampliatio est extrinseca acquirendo alia prædia, & ideo seruitus non extenditur.

Nunc ad propositum si augetur numerus missarum augmentum esset extrinsecum, sed si intra latitudi-

nem numeri missarum augetur merces, augmentum est intrinsecum, & tenetur hæres, quæ distinctio probatur ex concordia dictorum iurum, l. non modus, & l. si seruitus, & pro hac opinione facit etiam text. in d. c. quanto, vbi Papa mandat præstari prandium iuxta antiquum numerum religiosorum, nisi facultates creuerint, sed non diminit numerum religiosorum, si fortè prius cum minori impenfa alebantur, quam hodie, & prædicta sunt intelligenda data capacitate hereditatis, & tanto magis si hereditas est aucta iuxta dictum cap. quanto.

Non obstant adducta in contrarium, nam in dict. l. non modus, & c. quanto augmentum erat extrinsecum non obstat Doctrina Abb. de impenfa relicta non sufficiente pro constructione monasterij, siquidem loquitur data impossibilitate exequendi voluntatem testatoris iuxta terminos d. c. nos quidem. Præterea impenfa nec sufficebat tempore mortis testatoris, & casus noster est diuersus. Neque obstat, quod non datur incrementum, vbi non imputatur diminutio, id enim procedit, nisi coniecturata mens testatoris sit in contrarium quemadmodum augmentum, legati pertinet ad legatarium, l. si ex toto. ff. de legat. 1. sed non contra coniecturam mentem testatoris, vt ibi per DD. præcipue Ripam, posset etiam dici, quod si hereditas pereat casu cesset onus missarum.

RESOLVT. CCCCLXXII.

- 1 Iuramentum semper cedit loco cautionis, quando legatum est sub modo, sed contrarium, n. 3.
- 2 Nemo potest esse testis in causa propria.
- 4 Super celebratione missarum non est standum iuramento illorum, quibus factum est legatum, sed super solutione legati.
- 5 Celebratio missarum probatur per librum sacristæ officialis deputati.
- 6 Episcopi in visitationibus ex frequenti vsu mandant confici librum missarum a sacristis, & ita consuetudo seruat.

De legato facto Ecclesiæ pro celebratione missarum, an iterum fidei rectorum de celebratione missarum.

Sæpius fui requisitus, an religiosorum iuramento, quibus relictum est annuum legatum pro celebratione missarum in hebdomada eorum iuramento stetur pro dicta celebratione, vt possit consequi legatum, & secund. Guid. Pap. decision. 614. videtur, quod sic; dum dicit esse standum iuramento, quia iuramentum cedit loco cautionis, quando legatum est sub modo l. si qui pro redemptione, vbi Bart. & alij. Cod. de donat. atramen veritatem consulendo dixi, quod si staretur eorum iuramento essent testes in causa propria contra regulam iuris, l. nulli Cod. de testibus Thesaur. quæst. for. 86. libro 1. dicit in Senatu Pedemontano fuisse iudicatum, non esse standum iuramento, & quod Guid. Pap. loquitur, quando agitur de re minima legata, secus si de re notabili, prout in illo casu erant duo currus vini pro vna missa in hebdomada non celebrata pluribus annis. Dicebatur etiam Guid. Pap. non dicere standum esse iuramento super celebratione missarum, sed super solutione legati, tunc enim stabitur dicto Guardiani narrantis in odium sui Conuentus, quod fuerat solutum legatum, & hanc opinionem cenfeo veriolem, quod debeat probari celebratio Missarum saltem per librum Sacristæ Officialis deputati, qui quotidie scribit missas, vel satis fit vbi sit liber missarum, quæ celebrantur pro oneribus iunctis a defunctis probare, quod Ecclesia habet onus celebrandi tot missas

missas in die, & quod in ea pariter tot, & plures etiam missas a religiosis celebrantur pro satisfactione obligationis, & in altaribus deputatis, quod non videtur procedere in presbyteris secularibus, qui in eorum domibus commorantur, debent enim probari missas saltem per librum Sacristiae, & Episcopi in visitationibus ex frequentiori usu mandant confici librum missarum a sacristis, & ex consuetudine illi fides adhibetur iuxta late tradita per Felyn. in c. ad audientiam de praescriptionibus, dummodo celebrentur missae in altaribus deputatis a defunctis, & fundatoribus.

RESOLVT. CCCLXXIII.

- 1 Adducitur casus quaestionis.
- 2 Decennalis celebratio Missarum obligat cappellanum ad celebrandum in futurum.
- 3 Decennalis seruitij praestatio cum allegatione tituli obligat in futurum, sed vide contrarium num. 4.
- 5 Celebratio Missarum non inducit seruitutem, sed continet aliquod onus.
- 6 Favore Ecclesiae decennalis consuetudo obligat in futurum.
- 7 Favore pia causa tempus est modus inducendi obligationem.

Decennalis celebratio Missarum in Altari an obliget cappellanum in futurum, si non constat de onere, sed tantum allegatur onus ab Ecclesia.

Alumnus meus, & pariter solertissimus Iuuenis Nouarius contulit mecum talem casum. Archiepiscopus ciuitatis Macerae visitabat cappellanas, & reperit per decennium fuisse semel in hebdomada a cappellano beneficiario celebratas missas, Ecclesia allegabat missas fuisse celebratas ratione oneris impositi a fundatore, sed non probabat onus, quia non constabat in bullis cappellaniae de aliquo onere, particulari (quia aliquando solet in genere heri collatio cum oneribus, & honoribus) cappellanus negabat onus, & consequenter dicebat non teneri, dubitabatur nunc, an hac celebratio per decennium poterat compellere cappellanum in futurum, per text. tamen ex lege cum de in rem verso dig. de usuris videtur affirmatiue respondendum, & etiam ex communi ibi conclusione Doctorum, & in lege si certis annis, Cod. de pactis habetur, quod per praestationem decennalem, cum allegatione tituli inducitur obligatio in futurum, donec contrarium probetur; licet hac conclusio non procedat ubi agitur de obligando aliquem ad seruitium personale, puta ad ius vassallagij, seu subiectionis, quia tunc requiruntur triginta anni secundum Bartolum in dicta lege cum de in rem verso Bald. Iaf. Alciat. & omnes in dicta lege si certis annis. Attamen quicquid dicant isti verior, & communior est opinio, quod cappellanus possit compelli in futurum propter celebrationem decennalem, nec obstat, quod dicta conclusio non procedit ubi agitur de seruitio, quia citati Doctores in suis locis id intelligunt, quando agitur de seruitute cum graui praedictio, & subiectione personae, si praetendatur seruitus: sed celebratio Missarum non inducit aliquam seruitutem, sed continet quoddam onus, idque est adeo verum, quod potest fieri per alium iuxta allegat. Lap. 117. communiter recepta, quinimo etiam quando agitur de seruitute, sed praedictum est modicum, procedit dispositio dict. leg. cum de in rem verso, vt in seruitutibus praedialibus non continuis iuxta gloss. in lege seruitutes, ff. de seruitutibus, & magis communem opinionem testatur Alciatus in dicta leg. si certis annis, & talis est celebratio Missae aliquibus diebus hebdomadae. Item facit, quod favore Eccle-

siae, & pia causa laudabilis consuetudo decennalis obligat in futurum cap. ad Apostolicam de Simonia, de quo sumunt Doctores conclusionem, quod favore pia causa tempus est modus inducendi obligationem. Item facit text. in cap. seruitium 18. quaestione secunda, ubi mandatur consueta seruitia praestari Episcopis a monasterijs, prout fuerunt praestata a tempore Gregorij Septimi vsque ad Urbanum Secundum, & tamen vt ibi notat gloss. non fluxerant triginta anni, & loquitur text. de seruitio, & praepue, multo magis procedit in cappellanis, quae ex consuetudine vniuersali fundantur pro celebrandis Missis, & successiue concurrunt plures praesumptiones.

RESOLVT. CCCLXXIV.

- 1 Oblationes, quae fiunt in missa non sunt de precepto, sed de consuetudine.
- 2 Clericus pauper debet ex artificio sibi victum querere.
- 3 Fundator Ecclesiae pauper potest licite ab Ecclesia alimenta exigere.
- 4 Valet consuetudo recipiendi oblationes in Missa diebus dominicis.
- 5 Est valida consuetudo, quod de bonis parochiani defuncti Parochus aliquid accipiat suo arbitrio.
- 6 In facto proprio potest quis esse arbitrator.
- 7 Consuetudo potest tribuere Iurisdictionem.
- 8 Consuetudo, quod Archipresbyter interijt coniugij nuptiarum non valet, sed vide contrarium n. 9.
- 10 Consuetudo, quod parochus vendat panem benedictum parochianis est valida.

Consuetudo faciendi oblationes in Missa an sit valida, & an oblationes sint de precepto.

Maxima est altercatio inter Doctores an oblationes, quae fiunt in Missa sint de precepto, vt per Archidiaconum, & alios in in cap. omnis Christianus de consecratione, distinctio, prima, & communiter tenetur non esse in precepto, nisi ex consuetudine, ita Archidiaconus Sancti Thomae secunda secunda quaestione alium casum ponit Ludouicus Romanus, conf. 347. quando rector non habet aliunde, vnde sustentetur, cum enim populo ministrat spiritualia, debet ei populus ministrare corporalia, vt latissime dicitur in cap. Ecclesias, §. ius ita decimotertio q. 1.

2 Non obstat, quod clericus pauper debet artificio sibi victum querere cap. clericus victum distinctio nonagesima prima, qui non excluditur, quin possit oblationes querere sibi a populo debitas, quemadmodum fundator Ecclesiae pauper potest licite ab Ecclesia alimenta exigere decima sexta, quaest. 7. cap. quicumque, & capitulo nobis de iure patronatus: ita notabiliter Romanus loco citato, qui ex his concludit consuetudinem praedicandi, recipiendi oblationes diebus Dominicis ab haeredibus defuncti esse validam, & praedicta maxime procedere, quando ex pecunia ipsius oblationis pro populo non exilit onerosus, ubi etiam concludit valere consuetudinem, quod de bonis Parochiani defuncti possit ad arbitrium aliquid recipere, nam in facto proprio potest quis esse arbitrator, capitulo quinquauallis de iureiurand. leg. final. §. libertus, ff. de operis libertor. & consuetudo etiam potest tribuere iurisdictionem capitulo primo de poenis in sexto, superior igitur potest compellere ad conseruandas laudabiles consuetudines iuxta capitulum ad Apostolicam de Simonia. Et ex his potest inferri ad alias consuetudines laudabiles, vt praestandi partem coniugij nuptialis curato, qui celebravit matrimonium, sed non valet consuetudo,

- 8 tudo, quod Archipresbyter interfit conuiuijs nuptiarum, quia text. in cap. Presbyter, distinctione, trigesimaquarta, prohibet presbyteros Diaconos subdiaconos interesse conuiuijs nuptiarum, ne propter turpia Cantica, & obscenos motus corporum oculi, & aures ministrorum sacrorum polluantur, sed dicit ibi Archidiaconus, quod cessante causa prohibitionis non videtur eis prohiberi, unde dicit, quod possunt interesse, & ibi comedere si sint in loco priuato, & segregato a strepitu, & ludis, valet igitur
- 9 talis consuetudo seruata tali modestia maxime, quia praesentia Parochi solet potius deuotionem, honestatem, & timorem reuerentialem Patris spiritualis seculo cum praeferre. Item valet consuetudo quod parochus vendat panem benedicendum Parochianis. Bertrand. conf. 64. p. 2. absque tamen scandalo.

RESOLVT. CCCLXXV.

- 1 In quaestis solus Praelatus nocere non potest Ecclesiae.
- 2 Rectores hospitalis, seu confraternitatis retinent totam potestatem collegij in concernentibus utilitatem, non delictum.
- 3 Monitio requiritur, quando aliquid debet fieri singulis annis, & dies non est expressa.
- 4 Mora purgatur, quando aliquid debetur singulis annis, & non est appositum tempus certa diei.

De legato facto Ecclesiae pro celebratione anniuersarij singulis annis cum pacto resolutio, quod in casu negligentiae transeat ad aliam Ecclesiam, quae requiratur, ut resolutio fiat.

Eleganter Felynus hanc quaestionem tractat. in consilio trigesimo quarto, ubi dicit tria requiri, ut committatur poena; primum, ut debeat concurrere negligentia praelati, & capituli, ita Abb. Anton. in capitulo verum de conditionibus appositis idem Antonius in capitulo final. de donationibus, quia

1 in quaestis solus Praelatus non potest nocere Ecclesiae, gloss. in capitulo primo, 17. quaestione sexta,

2 & in regula delictum de regulis iuris in sexto, quod ampliat Felyn. in dicto consilio trigesimo quarto, procedere etiam in gubernatoribus hospitalis cui est factum tale legatum, neque obitat, quod tota potestas collegij, seu confraternitatis hospitalis videatur residere apud gubernatores gloss. ordinari in rubric. quae sit longa consuetudo, & in lege sed in hac lege, §. qui manumittitur ff. de in ius vocando, id enim procedit in his, quae concernunt utilitatem collegij; non delictum, quia in generali mandato non venit potestas delinquendi, lege prima, ff. de magistrat. conuen. & nisi delictum fiat congregato consilio, vel saltem ratificetur, ut plenè per Angelum, consilio 163. Attamen circa hoc dictum Felyn. videtur aduertendum, quod ad hoc, ut dicatur solus Praelatus negligere, requiritur protestatio capituli contra Praelatum, alias ipsum quoque delinquit negligendo, satis est enim, quod testator dixerit, quod in casu negligentiae anniuersarij, vel alterius rei legatum transferatur, facit quod licet vniuersitas non dicatur delinquere, nisi communicato consilio gloss. in lege sicut. §. quoniam, ff. quod cuiusque vniuersitatis nom. cap. dilectus, de Simonia, tamen id procedit in delicto, quando consistit in faciendo secus in omittendo iuxta Salycet. in lege prima, Cod. de feditiosis, qui allegat l. iubemus nullam, C. de sacrosanct. Ecclesijs, quem refert, & sequitur idem Felynus in dicto capitulo dilectus, quod est valde notandum, nam cum testator dixerit, & cum non fiat transferatur, non faciendo omnes delinquant, nisi protestentur.

Alof. Ricc. Praxis. Pars III.

- 3 Secundo requiritur monitio, quando dicitur, quod aliquid fiat singulis annis, & non exprimitur dies, ita tradit idem Fel. per gloss. notab. in Clement. quia contingit in verb. annis singulis, quae dicit, ubi sunt talia verba sufficit paratum esse, quando requiritur, maxime cum non dicatur die tali, allegat etiam Bartol. in l. prima, ff. de penu legata, & tanto magis si adfuit probabilis causa intermissionis, ut si tempore testamenti aderant in Ecclesia regulares postea clerici saeculares.

Hoc autem secundum requisitum, quod ponit Felynus est valde dubium, cum iam adit poena imposita a testatore, quo casu quamuis Innocent. voluerit in capitulo extirpare, §. qui verò de praebendis, quod ubi apponitur poena negatiue non committitur, nisi praecedat monitio, secus si affirmatiue, tamen contra Innocent. tenet Abb. in dicto §. qui verò post gloss. notabilem in lege 1. ff. de his quibus, ut indignis de qua facit tex. Bartol. in leg. in cognitione, ff. ad Syllanum, quae concludit, quod poena apposta non vendicanti mortem defuncti, pro facto est infligenda, quod habuit quis facultatem vindicandi, & non vindicauit, idem tenet Bald. in lege prima, ff. de his, quibus, ut indignis, multo magis id debet procedere, quando adest negligentia in non refrigerando animam testatoris, quae fortè cruciatur in purgatorio.

Tertio declarat Felynus, quando rectores Ecclesiae purgaueunt moram offerentes pecuniam pro anniuersario non facto adimplendo, & obtulerunt se paratos continuare omni anno, quia ubi est apposta poena, & tempus non certa diei, sed annuam potest mora purgari, ex notabili doctrina Bartoli in dicta lege 1. ff. de penu legata. Imol. in l. si insulam, ff. de verbor. obligat. Paul. de Castro, consil. vigesimo, consuluit in fauorem heredis, qui tenebatur ex testamento singulis annis facere certum quid sub poena priuationis, quod potuerit moram purgare, & dicit Felynus usque ad litem contestationem, concludo igitur in hac quaestione, quod Ecclesia sit diligens in adimplendo.

PRAXIS RESCRIPTORVM.

RESOLVT. CCCLXXVI.

- 1 Rescriptum in dubio est interpretandum secundum ius commune.
- 2 Principis intentio talis praesumitur, qualis esse debet.
- 3 Non dicimur posse, quod inhoneste possumus.
- 4 Princeps debet agere cum subditis, non secus, ac cum filijs.
- 5 Potius dicitur rex circumuentus, quam primam confessionem reuocasse.
- 6 Verba rescripti debent reduci ad ius commune, licet natura verborum non patitur.
- 7 Verba rescripti debent impropriari, ut ad ius commune reducatur, & ius tertio non auferatur.
- 8 Clausula rescripti recipiunt interpretationem, quam ius commune recipit.
- 9 Rescriptum est illud, quod ad obseruantiam iuris communis rescribitur.
- 10 Rescriptum contra ius non valet, nisi sit facta mentio iuris.
- 11 Clausula sequens determinat praecedentia.

Rescriptum dubium, & ambiguum qualiter interpretandum.

- R**escriptum regulariter in dubio interpretandum est secundum ius commune, ex quo intentio Principis talis esse praesumitur, qualis est legis

Q 2 scripta;